

Michael Virdung

**Michaelis Virdungi ... Orationes Duae : Quarum Prior Caussas Caritatis Annonae,
Posterior autem Eius Mali Remedia Exponit**

Altdorphi[i]: Scherffius, 1624

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767040244>

Druck Freier  Zugang



MICHAELIS VIRDUNGI
POLITICES ET HISTO-
RIARUM IN UNIVERSI-
TATE ALTORPHINA
Professoris Publici

ORATIO-
NES DVÆ,

Quarum Prior

CAUSSAS CARITATIS
ANNONÆ,

Posterior autem,

EJUS MALI REMEDIA
EXPONIT.



ALTDORPHI,

Typis excrispsit Balthasar Scherffius,
Universitatis Typographus.

ANNO M. DC. XXIII.

A. C. - 1037¹.

IESV CHRISTO
REGI REGVM

ET

DOMINO DOMINANTIUM,

EIDEMQVE

*PATRI EGENORVM, VI-
DUARVM ET ORPHANORVM,*

HASCE DUAS

ORATIVNCVLAS,
HUMILIMO CORDIS
AFFECTU,

FLENS SUSPIRANSQVE

DEDICAT ET CONSECRAT

MICHAEL VIRDUNGUS.

MNHΘHTI MOY, KYPIE, OTAN
EΛΘHΣ EN TH ΔOEH ΣOY.



ORATIO PRIOR,
DE CAUSSIS CARITATIS
ANNONÆ, HABITA ALTOR-
PHI, ANNO SALUTIS
CLO IO C XIII.

Qui historiarum studio operati sunt, eos plæriq; vitam opidò quàm suavē & jucundam agere existimant, incredibiliq; voluptate subinde perfundi, dū rerum gestarum & varietate, & magnitudine animum oblectant. Ego autem, dum per historias nationum veteres novasq; peregrinor, longè aliter animo me affici sentio. Tantum enim abest, ut inter amœna tempe versari sive deliciari me credam, ut contra nescio quod mare undosum ac procellosum, naufragijs perinfame & exitiosum, navigare mihi videar. Enimverò genus humanum malis miserijsq; cooperum, tanquam in speculo, dum eâ in re sum deditus, etiam atq; etiam contemplandum mihi sese offert. Quid enim, obsecro vos, auditores, Historia aliud est, quàm vastum aliquod & ingens seu potius miserandum naufragium humanæ stultitiæ, improbitatis, miseriæ, calamitatumque, quâ privatarum, quâ publicarum spectaculum luctuosum? Sive enim sacra, sive profana, sive antiqua, sive nova perlustres; occurrat scæda ac miserabilis ubiq; rerum facies: omnia plena errorum plena scelerum, plena discordiarum,

A 2 seditio-

pelagus

seditionum, bellorum, cædium, vastitatis, exitiorum,
deniq; omnium. In noctem (verè dico) agitur animus,
nec facilè caliginem offusam oculis discutit, quoties
hæctàm tristis, tam tætra, tàm horrenda species offer-
tur, animoq; obversari incipit. Quod si hic malorum
æstus tantum abriperet & absorberet malos noxiosq;
nec simul bonos & innocentes involveret; minus utiq;
angeremur. Nunc illud præcipuè dolori mœroriq; est,
quod boni, candidi, simplices, plærumq; Mysorum,
quæ dicitur, præda sint: ac quod pessimè omnium
nonnunquam vapulet ac mulctetur innocentia. At
enim contra pessimi ac nocentissimi quiq; non solum
agitant facilimè; Sed & diu sæpe bonis insultant, ante-
quam pœnas scelerum luant. Quare si Historia nihil
aliud promittit, nisi contemplationem miseriarum,
humani generis; propè est, ut exclamem, tanti non es-
se, ut ei pervolutandæ tempus operamq; ponamus.
Quis enim nobis inde fructus, nisi ut animus mœstitiâ
restringatur, utq; (pœnè dixerim) pigeat ac distædeat
humani generis. Præstaret enim, meo animo, nescire
se tam miserum, tamq; inter miseros vivere. Sed benè
habet, quod non solum mala, sed & malorum remedia
nobis propinat ubertim Historiarum seria ac diligens
lectio. Nam quum, verbis Polybij, duæ universis
mortalibus propositæ sint ad proficiendum rationes;
per proprios casus, aut per alienos: evidentior quidem
illa est, quæ per propria ducit infortunia; At tutior illa,
quæ per aliena. Itaq; viam priorem sponte suâ nemo
unquam debet ingredi: magnis enim ejusmodi corre-
ctio laboribus constat ac periculis. Posterior semper
nobis captanda: per quam sine ulla noxa, id quod me-
lius est, cernere unicuiq; licet. Quod reputantem, sic
apud

apud se quemq; statuere oportet: pulcherrimū discipli-
næ genus esse ad veras vitæ rationes cognoscendas, pe-
ritiam ex Historiâ collectam, quæ gestorum veram &
exactam narrationem continet. Sola namq; hæc in-
omni tempore, ac quocunq; rerum eventu, nullo tuo
incommodo judicandi id, quod melius est, faculta-
tem tibi largitur. Hæc ille qui & alibi calamitatum
tam publicarum, quàm privatarum hanc causam ad-
ferit, quod priorum casus, à quibus in aliquo est offen-
sum, ut in numerato habeamus, & ad manum, operam
non ponimus. Quæ quum ita sint; ipsum hoc tempus,
& hoc, quo jam pridem urimur, annonæ incendium,
aures mihi pervellit, ut aliquid ex penu Historiæ potif-
simum promerem, de causis caritatis annonæ ejusq;
mali remediis. Neminem autem vestrum esse arbitror,
auditores optimi præstantissimiq;, cujus non aures
avidè expectent ejusmodi Orationem, si modò, quod
promiserit, reipsâ præstet. Ego tamen quid de me ipso
pollicear, non habeo: quid verò Scriptores Conditoresq;
Historiarum de his rebus sentiant ubi cognove-
ritis, utrum eorum monitis auscultando, præsentia
mala depelli posse censeatis, nec nò, dijudicabitis. Tu
æterne ac misericors DEUS, quem gemitus pauperum,
egenorum, famelicorum proculdubio advertit hæte-
nus opem tuam implorantium, inspira & animum, &
linguam meam tuâ gratiâ, quò & publicè, & privatim
utilia concipiam simul & promam.

Causam igitur Caritatis & raritatis annonæ dupli-
cem nobis ingerunt Historiæ: unam, cælo immissam
sterilitatem: alteram, quam malicia, ac nequitia ho-
minum machinantur. illius exempla, quæ ex sacrâ, quæ
ex profanâ historiâ longum & ociosum arbitror con-
gerere.

gerere. Nemo enim tam in scriptis veterum hospes,
cui non plurima suâ sponte occurrant. Eam autem,
præter testimonia sacrarum literarum, *μάστιχα θεήλατον*,
ac pœnam scelerum ne pagani quidem esse nesciêrunt.
Hinc illi noti omnibus versus Hesiodi, quibus sæpè ob
unius crimen urbem totam plecti, simulq; & peste, &
fame affligi canit. Quæ quidem persuasio immane
quantum postea paganorum adversus Christianos odi-
um accendit, animosq; efferavit. His enim, si quis ac-
cidisset gravior Reipub. casus, si bellum, si morbus, si,
de quâ nunc agimus, fames, tanquam sacrilegis & im-
piis acceptum ferebant. Sic enim Tertullianus in Apo-
logetico, Si Tiberis, inquit, ascendit in mœniâ, si Nilus
non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si
fames, si lues; statim, Christianus ad leonem, acclama-
tur. Adde huc quæ de eâdem re Cyprianus, Arnobius,
Minutius Felix, Augustinus, aliiq; Patres contra Gen-
tiles disputant. Sed quid opus Patres ad dicendum hac
de re testimonium evocare, quum ipsimet pagani idem
in suis scriptis non modò loquantur, sed & clament &
vociferentur. Audiamus enim vel Symmachum qui-
ritantem, & quod quercus excutiat, & manus ad an-
tiqua alimenta porrigatur, reos facientem Christia-
nos, idq; (si Deo placet) apud Imperatores Christia-
nos. Jam quàm miracunde ob pares similesq; causas in-
Christianos detonat Zosimus Comes: qui quidem quic-
quid malorum ætas sua vidit, (quid autem mali illa-
ruentis Imperij ætas non vidit?) non dubitat neglecto
& conculcato cultui Deorum adscribere. Non igitur
mirum, quod apud Eusebium *lib. IX. Hist. Ecclesiast.*
cap. VII. Maximinus tyrannus in Edicto ad Tyrios
misso, se prædicet *μητρόπολι πασῶν θεοσεβειῶν*, ob crude-
lissimam

lissimam persecutionem Christianorum scilicet, à
quorum impietate postquam & sterilitatis, & omni-
um malorum principium natum esse, videri voluit, in-
spiciant jam, inquit, campum latè patentem, florentes
segetes, & spicis velut inundantes, & prata imbrium,
irrigatione, plantis & floribus amœna, & redditam,
aëris constitutionem temperatam & placidam: deinde
gaudeant omnes, quod per vestram pietatem, sacri-
ficia & cultus, potentissimi & rigidissimi Martis Poten-
tia placata est: lætentur, quod ob eam causam placi-
dâ pace constâter fruamur. Sed omittamus istam paga-
norum impiam pietatem. Non queo tamen mihi tem-
perare, quin eodem in genere ridiculam Ægyptio-
rum insaniam refricem. His enim quum Theodosius
major August⁹ interdixisset, ne Nilo sacrificarent; hinc
certissimam sterilitatem ac famem, Nilo scilicet hunc
sui contemptum amnis defectu vindicaturus, demen-
tes argurabantur. Cæterum, ut Ecclesiastici scriptores *Sozomen⁹*
memorant, ex eo tanta inundatio fluminis consecuta *lib. 7. c. 20.*
est, ut dicta in Nilum jacularentur dicaces Alexandri-
ni, quod, veluti senex ac delirus eminxisse videretur.
Idem tamen Ægyptij saniore mente ejusmodi calami-
tates assignare soliti quondam rectoribus suis, si illi sci-
licet impij, ac sceleribus flagitijsq; cooperti: quod qui-
dem etiam apud Burgundios obtinuisse, refert Amm:
Marcellinus *lib. XXVIII. Historiar.* Apud hos, inquit,
generali nomine Rex appellatur Hendinos, & ritu ve-
teri, potestate depositâ, removetur, si sub eo fortuna
titubaverit belli, vel segetum copiam negaverit terra.
Quam quidem opinionem non temerè imbibisse de
suis rectoribus homines paganos, testes sunt Sacræ Li-
beræ, in quibus legimus fame Judæam afflictam fuisse,
ob Sau-

ob Saulis in Gabaonitas scelus, ac pestilentiam popu-
lum depopulatam esse, ob peccatum Davidis. Hoc
ipsum sentiens auctor *libri de XII. Abusionum gradibus*,
Qui regnum, inquit, secundum hanc legem non di-
spensat, multas nimirum adversitates Imperii tolerat.
Idcirco enim pax populorum sepe rumpitur, & offen-
dicula de regno suscitantur, terrarum quoque fructus
diminuuntur, & servitia populorū impediuntur, multi
& varij dolores prosperitatem regni inficiunt, caro-
rum & liberorum mortes tristitiam conferunt, hosti-
um incurfūs provincias undiq; vastant, bestię armen-
torum & pecorum greges dilacerant, tempestates aë-
ris, & hemisphæria turbata terrarum fœcunditatem,
& maris ministeria prohibent, & aliquandò fulminum
ictūs segetes, & arborum flores, & pampinos quoque
exurunt. Hęc ille. Ex quibus quidem, quod in hostes
Christiani nominis telum retorqueamus non medio-
cre suppetit nobis. Siquidem illo ipso, quo illi inso-
lenter vectabantur, argumento contra eos uti licet.
Constat enim, Imperante Juliano Apostatâ (cujus illi
laudibus, tanquam hominis divini, uniciq; cultūs deo-
rum instauratoris expleri nequeunt) ardoribus ac sic-
citatibus diuturnis, & quæ è terrâ gignuntur, & ipsam
aëris salubritatem eò usq; collabefacta corruptaq; fuis-
se, ut & morientium herbarum radices vellerentur ab
hominibus fame emorientibus, & ingens quoq; conse-
queretur indè pestilentia. Satis de caritate annonæ, si-
ve fame, cui mater sterilitas, flagellum Dei justum,
adversus peccata. Nunc de illâ quoq; dicamus, quam
hominum malicia, cupiditasq; injusta & gignit & alit:
Neq; verò nunc ea, quæ bellum plærumq; secum im-
portat famis mala, animus est exequi, dira illa quidem
& hor-

*Præter
alios, So-
zomenus
lib. 5. c. 2.*

& horrenda : cæterum nos satis habemus negotij cum
 illis, qui in ipsâ etiam pace bellum hominibus, atq; ip-
 si humanitati indicunt. Eos graphicè depingit Grego-
 rius Nazianzenus in *Oratione de laudibus Baslij Antistitâ*,
 ubi inter alia. Fames grassabatur, inquit, & quidem,
 post hominum memoriam atrocissima. Languibat
 civitas (loquitur de Cæsareâ Cappadociæ, ubi Basilius
 Episcopus) nec ex ullo loco auxilium afferebatur, nec
 ulla calamitatis medicina. Nam maritimæ quidem,
 urbes ejusmodi rerum penurias facilè sufferunt, dan-
 tes nimirum ea, quibus affluunt, ac vicissim ea, quibus
 carent à mari accipientes. At nos, qui procul à mari
 recessimus, nec ex ijs rebus, quibus abundamus, utili-
 tatem ullam capimus, nec ea quibus egemus, ullâ arte
 comparare possumus : ut qui nec ea, quæ habemus ex-
 portare, nec ea, quibus caremus, importare queamus .
 Sed in hujusmodi malis nihil gravius atq; acerbius est,
 quàm crudelitas cupiditasq; inexplebilis eorum, qui
 frumento circumfluentes observant temporum diffi-
 cultates, atq; ex annonæ penuriâ lucrum captant, & ex
 aliorum calamitatibus messem faciunt: nec illud au-
 dientes, Eum, qui pauperes commiseratur, Deo fœno-
 ri dare; nec rursus illud, eum, qui frumentum abscon-
 dit, plebi execrabilem esse; nec deniq; quicquam ali-
 udeorum, quæ vel humanis & benignis hominibus
 pollicetur Scriptura, vel duris & inhumanis commina-
 tur. Verùm immodicâ quâdam & inexplebili cupidi-
 tate flagrant, ac malè hoc in seipsos consulunt, ut alijs
 sua, sic ipsis sibi Dei, cujus ope multò magis se indige-
 rent sentiunt, quàm alijs ipsorum auxilio egeant, viscera
 præcludentes. Et hæc frumentarij mercatores caupo-
 nesq; faciunt, qui nec cognationis jure moventur, nec

Τηρᾶσι
 τοὺς καί-
 ρους ἢ κα-
 ταπεργ-
 ματεύον-
 τῆς ἐνδεί-
 ας, ἢ γε-
 ωργῶσι
 τὰς συμ-
 φορίας.

πῶτα μὲν
 οἱ σιῶναί
 ἢ σιτικᾶ-
 erga πηλοι.

B

erga Deum, ejus munere ipsi, aliis inopiâ laborantibus, in rerum copiâ vivunt, animi grati funguntur officio. Audistis, quàm copiosè & graviter invehatur vir sanctus in eos, qui frumentum supprimunt, quiq; non justo pretio vendunt: quos quidem homines notum est in libris Legum DARDANARIOS appellari, qui attentant, onerant, vexant annonam, ut loquitur Vlpianus, sive, ut Varro, incendunt & excandefaciunt, ut Lampridius, vastant, ut Plinius, flagellant: quorum quidem variis constitutionibus fraudes, calliditates, stellionatûs coërcentur, quod ipsorum scelere annonam vastantium, non semel inopia ingens Romæ extiterit, quum tamen, ut ait Lampridius *In Commodò*, fruges non deessent. Ejus rei, præter alios, horrendum exemplum commemorat Zosimus, *in Actis Honorij Augusti*, Quum, inquit, Heraclianus, fovens partes Honorii contra Alarichum, omnes in Africâ portûs suo præsidio teneret, neq; jam frumentum, vel oleum, vel ullus alius commeatus in portum Romanum adveheretur; fames in Urbe gravior, quam prius, exorta est, Dardanariis eâ spe, quicquid habebant, supprimuntibus, ut omnium pecuniam ad se transferrent, id consequentes pretium, quod ipsimet arbitrato suo statuissent. Eâ propter ad tantas angustias Urbs redacta est, ut à sperantibus hominum quoq; corpora degustatum iri, vox hujusmodi Circensibus ludis emitteretur, **PONE PRETIUM HUMANÆ CARNI**. Onova, & in audita, & abominanda lues, quæ nihil homini reliquit præter hominem! cogit enim me sic exclamare rei dira ac nefanda atrocitas, ad quam equidem totâ mente cohorresco, nec vos aliter animo commoveri, auditeres, animadverto. Quos igitur, per Deum immortalem,

mortalem, appellabimus eos, quorum operâ desciscunt
 in tantum ab humanitate homines, ut omnem fera-
 rum truculentiam atq; immanitatem ^{superent}. Ne-
 mo igitur miretur, quod ipsum aliquoties Numen cœ-
 leste, quum hæc dardanariorum prodigia a versaretur,
 auxilio extraordinario miserorum mortalium neces-
 sitati miraculosè subvénit. Exemplum idem nobis
 suppeditat Zosimus, *in rebus Probi*, cujus & in eodem
 Augusto Zonaras mentionem facit, Quum, inquit, fa-
 mes omnibus in locis ingruisset; immensus imber cœ-
 lo delapsus, unâ cum guttis frumentum quoq; detulit,
 adeo quidem, ut ejus acervi quibusdam in locis per se
 construerentur, &c. Et hoc quidem in finibus Germa-
 niæ propè Rhenum prodigium accidit, circa annum,
 æræ Dionysianæ 280. Aliquot autem sæculis pòst idem
 contigit in Aquitaniâ sub Pipino patre Caroli Magni.
 Nam eo Francorum Rege, pluit frumento in pago A-
 ginnenfè ultra Garumnam, hoc est, in eâ regione, quæ
 propriè Vasconia dicitur, in quâ Condomium est, ut
 ex vetustissimis Annalibus alicubi refert Josephus Sca-
 liger. Cæterùm nec nostra ætas ejusmodi DEI bene-
 ficia extraordinaria non sensit & experta est. Etenim
 anno Christi 1010 xlviii. sive secundum quosdam,
 biennio pòst, in Carinthiâ, non longè à Clagenfurto,
 & Villacoopidis, A. D. X. Kal. Aprileis horarum dua-
 rum spatio per duo amplius milliaria annonam pluit,
 ex quâ regionis incolæ panem optimum confecerunt;
 isq; ad ipsum Cæsarem Carolum V. cum granis filigi-
 neis cœlo delapsis, perlatus, & summâ admiratione
 conspectus est, ut non solùm à nostratibus, sed & ex-
 ternis historicis refertur. Jam recentioris illius pro-
 digii, quod annus à millesimo, quingentesimo septu-
 agefimus²

agesimus primus vidit, plæriq; seniorum, ut puto, ad-
huc meminerunt. Frenim ovum acri tunc annona to-
ta ~~passim~~ ~~sepius~~ ~~cur~~ Germania, atq; inprimis Suevia,
ac Noricum fame urgerentur; raro miraculo, insi-
gniq; DEI beneficio, pisa, rapula, frumentum ac tri-
ticum compluribus locis, Gotlebergæ, Lembergi, ac
Lambii in Quadis A. D. X VII. Kalend. Quintil. pluit,
ex quo collecto trituratoq; homines undiq; accurren-
tes, triduo post, panem esu optimum confecêrunt.
Ecquod illustrius divinæ misericordiæ beneficentiæq;
documentum desideramus? Sed & paullò post eodem
mense non minus conspicua atq; evidens DEI Justitia,
ac vindicta cœlestis apparuit. Quum enim Leoburgi
in Saxoniâ inferiore, duo omnis humanitatis propter
avaritiam immemores institores, aliquot millibus fru-
menti modiis coëmptis, illud Hamburgum, quò cari-
us distraherent, amne Albi devecturi, fores horrei re-
serâssent; ingenti terrore frumentum in oculos ipsis
obviâ, ecce, fertur, atq; universum per fenestras e-
volat, adeò quidem, ut ne granum quidem in tabula-
to reliquum viderint, eò spectatum mox ingressi. Quo
casu (utor verbis historici Gallici) unus ex dardanariis
adtonitus concidit, ac mox expiravit; alter ex hor-
reo desiliens, quum ad Albim se suffocaturus tende-
ret, à bajulis ægrè retractus ac vinctus est. Princeps ve-
rò, qui Karsburgi erat, re ad eum perscriptâ, Leobur-
gum venit, ut coram de re omni certius cognosceret,
quumq; miser ex desperatione, rejecto omni salutari
consilio, tandem animam à malo spiritu diu vexa-
tam efflâssit; Princeps cadaver ejus publicè cremari
jussit, poenâ capitis & bonorum omnium in eos sancitâ,
quicumq; ex suis subditis ad annonam flagellan-
dam

dam, & gravandos pauperes frumentum premere aut
interverteret. O verè Principis, atq; etiam parentis
(erumpit enim affectus) officium, consulere hujusmo-
di rationibus, in tali tempore, subjectis! His, ne fame
pereant, providere: illos autem, ne in perniciem ani-
marum cæci ruant, terrore ac metu suppliciorum co-
hibere. Atq; ut hanc Principis severitatem nemo non
intelligit fuisse salutarem: ita si illi ipsi, qui Rempub.
gerunt, annonam vexant, incredibile dictu est, quan-
tam hoc secum perniciem trahat. Neque enim facto
suo tantum, sed & multò magis exemplo Rempub. vul-
nerant. Quilibet enim privatorum idem sibi licere
putat, quod principes ac magistratus facere videt. Ac-
que ut hujus rei fœditatem magis ante oculos vobis
ponam, auditores, recitabo historiolum ex Johannis
Zonaræ *Tomo annalium tertio*, ubi, in imperio Nicephori
Phocæ, Mense Majo, inquit, spiravère venti, qui fru-
ges peremerunt, unde fame laboratum, quam Nice-
phorus in suum lucrum convertit, in granaria conge-
sto frumento, & esurientibus magno vendito, non re-
putans, se (ut in *Proverbiis* Salomon ait) publicis exse-
crationibus obnoxium esse, sed benignitatem potius
suam erga subditos jactans, quod binos medimnos au-
reo venderet, quamvis exemplum Basilij Macedo-
nis haberet, qui in tali penuriâ se, non ita olim, ma-
gnificè gesserat. Nam quum aliquando de more in
sanctorum Apostolorum ædem iret, & cives quosdam
gravitatis aliquid præ se ferentes, mœstos conspexis-
set; causam tristitiæ quæsivit. Illi responderunt,
Domine, qui non tristes esse possumus, quum mor-
tem nobis instantem videamus, & bini frumenti me-
dimni aureo nummo sint emendi? Quibus ille audi-
tis,

tis, ingemuit, datâq; pecuniâ, tristitiam illorum discussit, civiles magistratus execratus, quod ab iis de penuria non factus esset certior: ac statim Imperatoris granariis apertis, duodenos medimnos uno aureo vendi iussit. Ac ille quidem, ut Imperatorem deceret, egit; hic pro caupone se gessit, qui populo inopi non modo nihil opistulit, sed & calamitatibus insultavit, vulneribus eorum, quos fames sauciârat, inhumaniter divellendis. Sed & frater ejus Leo, & ipse cauponando, nihilo minus & urbanum populum, & provinciales premebat. Qui cum se tales erga afflictos præberent, invicem dictis à populo incessabantur. Nam quum aliquando Imperator novitios milites lustrans, canum quendam inter cæteros vidisset, rogavit, cur homo senex militiae nomen dedisset? Ibi ille ingeniosè respondit, se nunc multò robustiorem esse, quam in juventute. Tum enim ne dimidii quidem aurei frumentum tollere potuisse; nunc verò duorum aureorum faciliùs in humeros sublaturum. Intellexit cavillum Imperator, eoq; dissimulato, ad alium transit. Haec tenus Zonaras. Et quid igitur (dicat aliquis) non licet ad futuras necessitates, metu præsertim inopiae ac famis urgente, frumentum Superibus recondere? Licet verò semperq; licebit Rempub. gerentibus (notum est exemplum Patriarchæ Josephi saluti Ægypti ratione eâ prospicientis) in posterum quam diligentissimè providere: idq; non solum licet, sed & justum & necessarium est. Cæterùm aliud est populi commodis prospicere (quod in hac ipsâ penuriâ annonæ superiori anno summâ cum prudentiâ paternâq; erga subditos benevolentia ac sollicitudinis laudè fecit Amplissimus ac Laudatissimus inclytæ Reip. Noribergensis Se-

fis Senatus,) aliud cum pöpuli incommodo suum ne-
gotium agere. Utramq; in partem exempla nobis (ut
alias Respublicas prætermittam) sufficit Romana Re-
publica. Quoties enim Romæ seditionibus labora-
tum, & ad extrema penè perventum est, obalimento-
rum inopiam, quum classes frumentarias ventis aut
tempestate præpedientibus, frumentum in publicis
horreis non esset? Certè ob eam causam periculosum
fuisse Romam inhabitare defectu alimentorum la-
borantem, libenter Symmacho propriâ scilicet expe-
rientiâ edocto credimus. Ea propter in summis suis
laudibus ipsi Principes ponebant, ubi huic incommo-
do, horreis publicis frumento refertis, diligenter oc-
currissent. At hercule (verba sunt Tiberii Principis in
Epistolâ ad senatum, apud Tacitum lib. 3. Annal.) nemo
refert, quod Italia externæ opis indiget, quòd vita pe-
puli Romani per in certa maris & tempestatum cotti-
die volvitur, ac nisi provinciarum copiæ, & dominis,
& serviciis, & agris subvenerint; nostra nos scilicet
nemora, nostræq; villæ tuebuntur? Hanc, P. C. cu-
ram sustinet Princeps. hæc omissa, funditus Rempub.
trahet. Idemq; , quum Cn. Domitio, & Camillo Scri-
boniano Coss. (qui fuit annus ab V. C. I. CCLXXXV.)
gravitate annonæ juxta seditionem Romæ ventum es-
set, litteris rursus missis, inculcavit magistratus, pa-
tresq; , quòd non publicâ auctoritate populum coër-
cuisissent; addiditq; , quibus è provinciis, & quanto
majorem, quàm Augustus, rei frumentariæ copiam
advectaret, ut idem Tacitus refert *lib. VI. Annalium*. Cæ-
terùm & hoc flabellum seditionum, ac facem tumul-
tuum inibi fuisse, si ii, qui Rempub. administrabant,
compressum tenere frumentum existimarentur, &

M. Tulli-

M. Tullius in eâ, prodromo suâ, indicat, & historia Cleandri, apud Dionem, Lampridium, & Herodianum declarat. Is enim postremus servorum, quum in domum Principis pervenisset, eò potentia fuerat e-
vectus (Imperatorem enim Commodum nescio quibus artibus admodum sibi devinxerat) ut non solum præfecturam Prætorii solus obtineret, sed & unus omnia posset in civitate, & in imperio. Jam enim illa urbs, rerum quondam domina, non tantum Principibus & Augustis suis, sed & eorum libertis, imò & servis servire assueverat. Verum enim verò quum iste tantam fortunæ indulgentiam concoquere non posset, ut eam mox cum vitâ evomeret, ad altiora etiam aspirabat, atq; ipsi (proh dedecus!) imperio imminerebat. Eâ mente vim maximam frumenti commercatus, id custodiis suis clausum continebat, ut annonâ magis magisq; eam ob causam ingravescente, quum in ipsâ fame subvenisset, omnium voluntatem promereretur. At enim populus Romanus indignatus ab ultimo mancipio sibi famem indici, patientiam tandem abrumpit, & contra verberonem uno impetu consurgit: nec prius ille tumultus conquievit, quam Cleandro jussu Commodi cum liberis occiso, cadaveribusq; eorum tractis, & in cloacas abjectis, animum odio ardentem, ultione civitas explevit. Sic iste tandem exitio suo condectus est, non posse diu, quæ multorum malo exercetur, potentiam stare: ac tunc maturuisse suam perniciem, quum eos, qui separatim gemebant, communis metus junxisset. Non absimilis causa seculo inferiori furorem multitudinis armavit & inflammavit adversus Symmachum Præf. V. licet illum immerentem. quum enim, nescio quis, ex infimâ face homuncio
sine

sine ullo teste eum calumniatus esset, dixisse, libentiùs se vino proprio calcarias exstincturum, quàm id venditurum pretiis, quibus sperabatur; adeo plebecula exarsit, ut domum ejus in Transtiberino tractu pulcerrimam incenderit, ut auctor est Am. Marcellinus *lib. 27. Historiarum.* Ex quibus aliisq; exemplis etiam, perspicere licet, quale sit irritamentum irarum plebis, & incitamentum seditionum, annonæ difficultas, inopiaq; rei frumentariæ, quæ superiorum vel negligentia, vel cupiditati accepta feratur. Unde eam quoq; ob causam malum istud quàm diligentissimè cavere ac propulsare debet Superiorum vigilantia, quò subtrahatur materia furori multitudinis. Ea enim quum in tali tempore duces præsertim nacta est, ac signiferos seditionis, qui tanquam ungues in ulcere existant, & in Reipub. malis sceleris sui faces inflamment, igni non nunquam magis exæstulare solet, omniq; salutis tam suæ, quàm alienæ jactâ aleâ, ruit in. præceps. Venter enim, ut scitè quondam Cato, caret auribus: nec rationem patitur, nec æquitate mitigatur, nec ullâ prece flectitur populus esuriens, ut dictum Catonianum interpretans alicubi Seneca ait. Atq; hæc de malitiâ annonæ vastatrice dicta sunt. Sequitur ut de nequitia quoq; breviter perstringamus. Ità autem hîc appello luxum desidiamq; hominum, iis vitiis annonam onerantium. Ac de luxu quidem non est opus, ut longam orationem explicem, quum ex Varro, Plinio, Senecâ, Juvenale, aliisq; veterum nemo nesciat, quantum is annonam olim excandefecerit Romæ. Qui quidem luxus jam tum Catonis illius censorii temporibus invalescebat, ut vel dictum illius apud Plutarchum declarat, negantis esse salvam posse civi-

popu

C

se civi-

so civitatem, in quâ plaris piscis, quam bos veniret.
Quid autem ille dicturus fuerat, si posteriori ævo cog-
novisset, nullum paucarum librarum. Tiberio qui-
dem Principe, quinq; millibus H. S. hoc est, centum,
& viginti quinq; Philippæis, sub Caligulâ octo millibus
nummum, id est, ducentis Philippæis emtum? Quæ qui-
dem gulæ prodigia ecquis non perhorrescat, præsertim
si scierit, summam & Romæ, & in Italiâ plærunq; vili-
tatem fuisse, antequam luxuria comitem avaritiam
trahens, in Rempub. immigrâset? Etenim ex Plinio,
qui Varronem auctorem laudat, discimus, aliquando
eòusq; annonam Romæ eviluisse (id anno urbis con-
ditæ Io. II. temporibus Punici belli primi contigit) ut
singulis assibus singuli farris modii, item vini congii,
prætereâ fici siccæ pondo tricena, olei pondo dena,
carnis pondo duodena non majori pretio venirent.
O vilitatem, pænè supra captum credulitatis nostræ:
cui tamen fidem astruunt ea, quæ Polybius *lib. 2.* scri-
bit de fertilitate & copiâ Galliæ Cisalpinæ, in qua; su-
is etiam sæpè temporibus, ait medimnum frumenti
Siculum (is autem sex modios Romanos continebat)
quatuor obolis vèniisse; hordei duobus; metretam,
autem vini, tantidem, quanti hordeum. Jam quid il-
lâ vilitate, pænè dixerim, magis est prodigiosum, quam
commemorat Appianus *in Mithridaticâ*, quum Lucul-
lus, prædis è Ponto actis, eam rerum copiam & abun-
dantiam effecit, ut mancipium quatuor drachmis ve-
nale esset, bos unâ: capræ, oves, vestes, alia simili, id
est, nullo pretio. Comparet nunc aliquis & conten-
dat cum hac vilitate, quæ frugi & priscâ Repub. fuit,
illam rerum in macello vènalium caritatem, quam
postea luxus invexit; aut ego fallor, aut nostram hanc
quod;

quoq; ætatem, si cum patillò superiori conferatur, in eâdem propemodum causâ inveniet. Quid enim, obsecro vos, auditores, esse causâ dicemus, cur intra tam paucos annos tantopere pretiis alimentorum intentis, rem familiarem multò ægrius, quam nuper admodum, tueamur? Num agrorum sterilitates continuæ; num bellum, aut quæ aliæ calamitates publicæ nos in has difficultates conjecerunt? Abest, DEI munere, absitq; semper talis fortuna Reipublicæ! Quid est igitur præter luxuriam, gancamq; ferventem, coenarumq; ingenia majoribus nostris incognita, ac deniq; exoticarum deliciarum amorem insanum: propter quem etiam pecuniæ nostræ eunt ad externos unâ & perpetuâ viâ? Eæ pestes sunt, eæ & quidem plerisque in Germaniæ locis non nimis vetustæ, quæ non solum annonam, ut olim Romæ, incenderunt, sed & avaritiam immane quantum aluerunt, auxerunt, armârunt hætenus. Possis enim de plerisque hodiè dicere, quod de sui temporis luxuriosis & avaris Salustius, eos genitos esse, qui neq; ipsi habere possint res familiares, neq; alios pati: de quibus etiam scitè ac rotundè Poëta: *Quæere ut absument, inquit, absumpta requirere certant.* Equidem quum hæc talia mecum voluto, non miror hanc tantam, quâ hodiè plæriq; omnes conflictamur, rei nummariæ difficultatem & inopiam, quum illud potius esse mirum debeat, quòd nobis quicquam supersit nummorum. Unde enim nobis illum jugem ac perennem divitiarum semper affluentium fontem? Unde beatam æternamq; auri & argenti scaturiginem? Quum, sit tot, pænè dixerim, auriferi sint in Germaniâ montes, quot sunt vitiferi colles, jam exhausti esse potuerint. Ea est luxuriei, gulæq; inprimis

mis viribus patrimoniorum helluantis apud plerosque
sævities ! Sed jam tempus est, ut Desidiæ quoq; (quam
Murciæ sive Vacunæ nomine Romani colebant) arca-
na ruspemur. Ea nobis (ne circa illa inutili mora
tempusteramus) proferunt & propalant Agriculturæ
doctores, sive rei rusticæ scriptores : inter quos Varro
& Columella gravitatis annonæ suis temporibus has,
præter alias, causas exponunt, quòd patres familia-
rum, falce, & aratro relictis, intra murum ferè cor-
reperint, & manus movere maluerint in theatro ac
circo, quam in segetibus ac vinetis : deniq;, quòd co-
lendis agris non eam, quam majores eorum, curam,
diligentiam, navitatem, & industriam præstiterint.
Expositis caritatis annonæ causis, tam cælo ortis,
quam ab hominibus profectis; restabat, ut ejus mali
remedia quoque exquireremus. Ea causis cognitis,
modonon ultrò sese offerebant, ni superior longius,
quam putâram, fluxisset oratio, atque ita tempus præ-
terfluxisset. Hanc igitur dissertationem in aliud tem-
pus differemus. Interea Deo Opt. Max. grates, quas
possumus animo concipere maximas agamus, ejusque
laudes celebremus, quòd nos uberrimo lætissimoque
frumenti modò proventu, præter spem omnium, beâ-
rit, atq; ex ipsis faucibus interitûs necopinantes eri-
puerit. Meministis enim, auditores, qui superiori-
bus mensibus, quum pluvias longa serena suspendis-
sent, vulgò omnium metus fuerit, non tam frugum,
inopiam pertimescentium, quàm avaritiam eorum,
qui jam, credo, omnes omnium pecunias spe & cupi-
ditate devorârant. Quis rùm pauperum futuri provi-
dus, uxorem? quis liberos suos aspicere poterat sine
fletu? quis non de suâ suorumq; incolumitate despe-
rarat

rârat ? Est enim profecto, est Avaritia plusquàm tæ-
tra ac pestifera bellua, quæ nullis legum vinculis, nul-
lo suppliciorum metu coërceri, satisq; constringi po-
test : cui qui serviunt, eos idcirco disertè idq; non se-
mel ab hæreditate Sanctorum, omniq; spe salutis, tan-
quam pèssimos Idololâtras, Apostolus excludit. Hac
enim dirâ lue qui possidentur, ad eorum sensus men-
tesq;, non solum omni humanitati, sed & rationi & in-
telligentiæ obstructus est aditus : non solum aliene, sed
ne quidem proprię animarum salutis cura malitiam
eorum expugnat. Non pauperum gemitus, non vi-
duarum & orphanorum ploratus, non ætate vel sexu
morbové invalidorum, atq; hinc fame contabescen-
tium miserabilis non tam viçę, quam mortis trahendę
ratio ferum & immanem eorum animum inflexerit.
Refûgit animus, eaq; formidat dicere, quę jamjam e-
rant ab hoc infinito malo metuenda, si spei nostrę se-
getes iterum decoxissent. Tuo, DOMINE, hæc est mi-
seratio, tua benignitas, quod vivere nobis, etiam invi-
tâ Avaria, concessum est : quòd spiritum nostrum no-
strorumq; non expugnatura est fames : quòd darda-
nariis nos nostraq; prædæ non sunt futura. Tu, tu,
misericors pater, salutem improvisam & inexpecta-
tam nobis adtulisti. Eâdem, ô DOMINE, nos, qui à tuâ
ope pendemus, in posterum quoque beneficentiâ mi-
sericordiâque fove : reliquorum autem mentes vel sa-
na, si fieri potest; vel si sunt insanabiles, eorum
malitia ne tuis nocere possit, in futu-
rum item provide.

§(o)§

D I X I.

C 3

SENE.



SENECA. EPIST. 50.

Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum: Caci tamen ducem quaerunt: nos sine duce erramus, & dicimus. Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romae potest vivere. Non ego sumptuosus, sed urbs ipsa magnas impensas exigit, &c. Quid nos decipimus? Non est extrinsecus malum nostrum: Intra nos est, in visceribus ipsis sedet. Et ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos agrotare nescimus. Si curari coeperimus, quando tot morbos, tantasque egritudines discutiemus? Nunc vero ne quaerimus quidem medicum: qui minus negotii haberet, si adhiberetur ad recens vitium. Sequerentur teneri & rudes animi, recta monstrantem. Nemo difficulter ad naturam reducitur, nisi qui ab illa defecit.

ORA.



ORATIO ALTERA

DE

REMEDIIIS EJUS MALI, HABITA
ALTORPHI IN AUDITORIO
WELSERIANO ANNO SALUTIS

MDCCXXIV A. D. XII. KALENDAS

MAJAS.



Psi jam decem anni sunt, Auditores, ex quo differui publicè de causis gravitatis annonæ, simulq; pollicitus sum, me & de ejus mali remediis alio tempore verba facturum. Jure igitur vobis lentum, ne dicam malum nomen videri possim, qui hoc velut ære alieno me nondum exsolverim. Verùm enim verò quò minùs id facerè multa me deterruerunt hætenus; illud imprimis, quòd frustra niti, nec aliud se fatigando nisi odium querere, extremæ dementiæ esse mihi Romanorum Historicorum Princeps infusurrabat. Nam quod Cato ille Censorius olim dicitabat VENTREM CARERE AURIBUS, id, meo animo, rectissimè de Avaritiâ quoque dicitur. quæ ubi radices egit altius, ac penitus se in corde sibi ditorum fixit, ibi & aures obsurdescant, & animi obbrutescant ad omne salutare monitum necesse est. Veniant igitur duo, si videretur, post homines natos eloquentissimi consensu gentium judicati, Demosthenes, c. M. Tullius, atq; ille Græcorum Jupiter tonans omnes
Eloquen-

Eloquentiæ suæ vires effundat, vibret & contorqueat.
Enthymemata, fulminet sententiis adversus Avariti-
am; hic verò facundiæ Latiaris anima ac spiritus ei-
dem vicio fulgentissimo illo suo & coelesti (sicut non
nemo prædicat) ore convitium faciat: tamen pericu-
lum erit, ne non solùm frustrà aures plærorumque hoc
genus hominum pulsent, sed etiam non nullis eorum
ludibrium ultrò debeant. O malum, pænè dixerim,
solum ex omnibus malis insanabile, & cui medicinam
frustrà prorsus facere coneris! Ejus profectò tanta vis
est, ut si Deus ipse præsens tonitruï voce, vereq; coele-
sti clamore aures avarorum increpet, vix tamen eos
audituros existimem. Quid enim audiant, qui ipsum
in Sacrosanctis oraculis Avaritiæ toties totiesque into-
nantem, eosq; ab hoc vicio cum planè terribilibus mi-
nis avocantem, nunquam audierint? Quum igitur, in-
vitâ ac repugnante Avaritiâ, videatur omnis hic frustrà
sumilabor, ne nunc quidem fortasse debui Camari-
nam istam movere, quam vis eò rem bellua illa jam pri-
dem deduxerit, ut, si homines tacuerint, vel ipsos la-
pides clamatuos existimem. Veruntamen quum ex
more & instituto hujus Academiæ novam mihi Profes-
sionem (quod quidem onus à Nobilissimis & Pruden-
tissimis hujus Universitatis Curatoribus meis humeris
nihil minus exspectantis nuper impositum est) POLI-
TICES auspiciaturo, aliquid prius dicendum sit, quo
futuris meis Auditoribus, si quo modo fieri potest, sa-
liva moveatur; Simul etiam ipse quandam veluti
linguæ rubiginem, è diuturno silentio contractam, de-
tergere non nolim: age, quæ è Civili scientiæ fonti-
bus hausta, ac Prudentiæ sacrario prolata passim sese
offerunt hujus mali (caritatis annonæ dico) remedia
in scri-

in scriptis quã veterum, qua recentiorum, colligamus, quodq; ex eis visum fuerit, in hanc oratiunculam nostram transferamus: Nec solùm cum Avaritiã, veluti matre Gravis Annonæ, sed & cum ipsius Avaritiæ genitrice Luxuriã manus conseramus. In quã quidem contentione si in utrunq; vitium necessariò investiti fuerimus, nemo, sicuti speramus, nobis vitio vertet, multoq; minùs, tanquam in Titium aliquem aut Sempronium, vel etiam in hunc illum vé locum iacta interpretabitur, quæ in commune protulerimus, sed illud potius B. Hieronymi secum expendet: Quando sine nomine contra vicia scribitur (vel dicitur) qui irascitur, accusator sui est. Nobis certè nulla adversus quemquam mortalium malivolentiã animum hæc dicturis fuisse suffusum, sed potius studio boni publici incensum, & nunc restatur, & ut confidimus, res ipsa, procedente oratione, fidem faciet. Vos verò, Auditores Magnifici, Reverendi, Consultissimi, Clarissimi, Nobilissimi, atq; Doctissimi, rogatos enixè etiam atq; etiam volo, ut si vestræ expectationi (quod omninò futurum metuo) parum responsura est oratio, mede tantis rebus etiam balbutientem æquis, ut quidem soletis, auribus animisq; audiatis.

Ut igitur in exquirendis remediis eundem ordinem exsequar, quo pridem causas annonæ caritatis indagavi, primùm quomodò sterilitati terrarum occurrere possit videamus. Cæterùm quùm eam sterilitatem esse flagellum DEI justum adversus peccata hominum satis ex illis, quæ tunc diximus, appareat; duobus hinc verbis nunc, quomodò ab illo flagello liberemur, doceri posse viderur, AGAMUS PŒNITENTIAM; vel etiam hoc uno, RESIPISCAMUS. Utinam verò maxima pars

D

ma pars

ma pars eorum, qui Christianum nomen hodie affectant, satis attenderet, quid sit hoc, AGERE PŒNITENTIAM! Profectò si hoc fieret, ut alia taceam, nunquam hoc tam grave, tam periculosum Reip. tam perniciosum optimo cuiq; exarsisset annonæ incendium: quod non tam agrorum sterilitati, caussivè aliis, quàm hominum lubidini cupiditatique acceptum uno ore ferunt omnes. Unde autem hæc cupiditas, hæc exitialis annonæ vexandæ lubido, nisi ex illâ vulgari persuasione pœnitentiam sese tunc egisse credentium, quando cultui externo litârunt: in quo quidem externo cultu maxima pars hoc ævo pro Christianis sese gerentium Religionis suæ & proram & puppim constituit, secuta interim cultus interni, nec de vitâ corrigendâ, & ad verbi divini regulam exigendâ seriò unquam cogitans. Quæ enim alia causâ est, quòd in plurimorum factis atq; moribus nec vola, nec vestigium, veræ pietatis compareat? imò, ut, quemadmodum, eximius maximiq; nominis quidam Theologus pridem conquestus est, meri (proh dolor!) hodie simus, majore certè ex parte, pagani? Sed & utinam ne vererum paganorum nonnullis longè deteriores reperiamur! Siquidem paganus erat POMPEIUS ille, qui in frugum inopiâ, fameque populi Romani, creatus annonæ procurator, Rempub. à discrimine illo, in quod annonæ nomine vocabatur, consilio, auctoritate, diligentia ac fide retraxit, vias reclusit, portus patefecit, itinera terris, litoribus mare, litora mari reddidit. Quumque ex insulis frumentariis vim magnam frumenti collegisset, eaque copiâ naves onerasset, coortâ gravi tempestate, quod periculum esset, ne multi interim fame interirent Romæ, vasto etiamnum & undabundo

bundo mari, primus, quantumvis gubernatores trepidarent, navim conscendit, evelliq; iussu anchora, proclamavit: NAVIGARE NECESSE EST, VIVERE NON EST NECESSE: Sicut legimus *apud Plutarchum*. O vocem verè MAGNI; quod Pompejus cognomen etiã iudicio Gothorum regis *apud Cassiodorum Theodoric*, meritissimo adeptus est, quia sagacitate (inquit) populum pœnuriã liberavit. Certè hæc annonæ cura, si credimus Plinio juniori, Pompejo non minus addidit gloriæ, quàm pulsus ambitus Campo, exactus hostis mari, Oriens triumphis Occidensque lustratus. Præterea paganus Princeps fuit etiam TIBERIUS Cæsar (nam Herodem, de cuius annonariã provisione Josephus, hic sciens prætereo) nec solum paganus, sed foedus insuper & maculosus, sævitiaque & libidinibus intestabilis. Hic tamen, testante *Corn. Tacito*, quum ob cœlo immissam sterilitatem, adversosque ventos commeatum mari subvehere prohibentes, acri Romana plebs annonã fatigaretur, ad eò nullum inde compendium captavit, ut contra infœcunditatem terrarum, aut asperis maris obviam ierit, quantum impendio diligentiaque potuit; & ne provinciæ novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritiã aut crudelitate magistratuum tolerarent, providerit. Denique, ut alios veterum prætermittam, paganus cultorque idolorum Princeps existit quoque TRAIANUS, ille quidem errore gentilium, velut ebrietate, sic demersus, ut Christianos dæmonibus sacrificare recusantes supplicii afficeret: qui tamen quantopere suis temporibus affluentiam annonæ procurarit, ex ejusdem *Plinii Panegyrico* discamus licet, ubi & inter alia facundissime exponit, quomodo is Princeps Ægypto tantis aliis segetibus indui solita, sed

D 2

quæ

quæ tunc inopinâ siccitate usq; ad injuriam sterilitatis
exaruerat, missis Româ frumentis, subvenerit. Ac sa-
nè magnificè Trajanus prorsusq; munificè, qui Nilo
suas copias refudit, & quæ mittere ille Romam tributi
loco frumenta consueverat, esurientibus Ægyptijs re-
misit: Veruntamen hic necessitatibus gentis imperio
suo subjctæ succurrit. Magnificentius multò munifi-
centiusq; meo animo, nuper Turcarum Princeps SO-
LYMANNUS, qui Venetos, quibus cum accerrimum
bellum modò gesserat, inopiâ frumenti itidem labo-
rantes liberaliter adjuvit, præfatus inhumanum esse, &
Principe indignum, ex alienâ calamitate lucrû exspe-
ctare, quum, ut ait Jovius, alendos judicaret, qui ex irâ
Deorum immortalium interceptis frugibus miserabile
vitæ periculû subirent. Erubescamus nunc Christiani, si
plus beneficentiæ, plus misericordiæ, plus subveniendi
publicis necessitatibus studij diligentiaq;, nonnunquã
apud Paganos ac profanos reperitur, quàm apud nos.
Quid si autem contrâ hæcenus omnia nos fecimus? &
inopiam fame laborantium non solum non sublevavi-
mus, sed miseros etiã indies acrius graviusq; ursumus;
& quò magis arderet hoc annonæ incendium, clam ole-
um etiam illorum nonnulli, qui debuerant extinguere,
suffuderunt? Tamennè Christianorum nomine nos
jactabimus, nec iram DEI formidabimus, nec futurum
judicium perhorrescemus; in quo procul dubio illi i-
psi, quos modò nominavi, & si qui alij similes eorum,
extra Ecclesiam exstiterunt, accusatores in nos ultimo
illo & censorio die consurgent. At nos populus Dei su-
mus, (dicet hîc fortasse aliquis) nobis jam inde à ma-
joribus Veritas Christiana lucet: nos ne quam conta-
gionem ex afflatu sectarum pestiferarum contrahere-
mus

mus diligenter anxieq; cavimus: nos templa frequen-
ramus, Verbiq; DE I præconibus sedulo damus ope-
ram, Sacroq; convivio intersumus: fieri non potest,
quin Deum habeamus propitium. Utinam verò! Sed
quid fiet interim tot locis Scripturæ claris, perspicuis,
evidentibus, illustribus, quibus avari ac rapaces, tan-
quam pessimi idololatræ, consortij Sanctorum exper-
tes, regniq; cœlorum exhæredes declarantur, deniq;
ab omni spe salutis adipiscendæ, si tales permanserint,
excluduntur? Quid etiam faciemus illis Esaïæ, Jere-
miæ, & Amosi locis, ubi Jehova aversari se dicit sa-
crificia Judæorum, cœtus, festivitates, sollennitatesq;
eorum odisse, orationesq; non exaudire, quod à mini-
mo usq; ad maximum omnes avaritiæ studeant, & à
Propheta usq; ad sacerdotem cuncti consciscant do-
lum? Videamus igitur annon cum Verbo DEI pulcrè
concinant hæc Minucij Felicis, è *Dialogo, qui inscribitur*
Octavius, verba: Qui innocentiam colit, Domino
supplicat; qui justitiam, DEO libat; qui fraudibus ab-
stinet, propitiat DEUM; qui hominem periculo subri-
pit, opimam victimam cædit? Sed quid vel Scriptu-
ram, vel Patres hîc voco ad testimonium? Ipsi paga-
ni sive gentiles hîc minùs, quàm plurimi è nostris, cæ-
cutierunt, nec tantum eorum sapientes, quibus, secun-
dum Augustinum, non defuit resplendentia Veritatis,
verùm etiam ipsum vulgus, è cujus sensu, ut solet, lo-
quens Comicus, hoc sale Tubulos ac Verres suos Ro-
manos defricat: Atq; hoc scelesti illi (inquit) in ani-
mum inducunt sutum, Jovem se placare posse donis,
hostijs: Et operam & sumptum perdunt. Id eò fit, quia
Nihil ei acceptum est à perjuris supplicij. Facilius, si
qui pius est, à dIs supplicans, quàm qui scelestus est, in-

veniet veniam sibi. Video non neminis vestrum, Auditores, vultum colligere rugas, frontemq; attrahere, qui me proculdubio tacitus sic compellat: Hoc cine pollicitus? Remedia annonæ difficultatis abs te expectabamus: tu cum Avaritiâ tamdiu litigans, è Politico, quem promittebas, repentino afflatu factus es Theologus. Quò tandem mihi dexter abis? huc dirige cursum, Litus ama. Non possum magis. Ego enim, Auditores præstantissimi optimiq;, id ipsum planè ago, quod me acturum promiseram. Etenim de remedijs gravis annonæ differentem ante omnia φιλαργυρίας τὴν πικρὰν ρίζαν ἐκκόψαι, avaritiæ radicem amaram excidere, sicut loquitur Hippocrates in Epistolâ ad Cratevam, sive ut scholiastes Dionis Prusæi, τὸ τὸ πλεονεξίας πάθος, ὡς σηπεδὸνα ψυχῶν, ἀποξύειν πείσῃ πικρῇ, plus habendi cupidinem, tanquam animi saniem, omni studio & contentione detergere oportet, saltim illis, quos nondum, ut lepra, penitus hoc vitium infecit. Alioquin quid se speret quispiam posse proficere, vel quomodò non potius litus infelix araverit, quascunq; tandem annonæ levandæ rationes adtulerit, si quorum in manu res ea est, avaritiâ præpediti benè monentem non audierint? At verò discussio, qui horum animis offusus est, errore, vilitatis proponendæ rationes modo non ultrò sese offerent. Idcirco ne expectatione suspensos diutius vos teneam, Auditores, præclare mihi videtur à Romano sapiente dictum, A capite esse bonam valetudinem: item, Gravissimum morbum esse, qui à capite diffunditur. Quibus verbis non alio in præsentiarum interprete opus est, quam Siracide, qui cap. X. Ecclesiastici sui, Secundum judicem populi, inquit, sic & ministri ejus, & qualis rector

Stor est civitatis, tales & inhabitantes eam. Rex insipiens perdet populum suum, & civitates inhabitabuntur per sensum prudentium. Vultis igitur, qui præestis alijs, multitudinē imperio vestro subjectam studere annonæ vilitati? Studete ipsimet, ac, si seriò rem agitis, quâ vestro ipsorum exemplo cæteros adhortamini, quâ legum sanctionib⁹ severisq; animadversionib⁹ in officio continete. Profectò, si horum utrumq;, sicut oportet, feceritis, optimo mox jure vobis illud, quod olim Severo, acclamabitur: Omnes rectè faciūt omnia, quia vos rectissimè imperatis. Dicit enim non potest, quanta bonorum exemplorum hîc vis & efficacia sit, adeò ut nec suavem odorem res admotæ tam facilè contrahant, quàm facilè virtus imperantium per omne civitatis imperijvè corpus diffunditur, & cuncta in similitudinem sui format. Flexibiles enim, ut ille ait, quamcunq; in partem ducimur à principibus, atque, ut ita dicam, sequaces sumus. Porro non tam sinistrè constitutum est, ut qui malos possumus, bonos non possumus imitari. Proinde vos alienos à cupiditate, aversos à turpi lucro, o fores avaritiæ, rapacitatis hostes, contraq; beneficentiæ communisq; boni studiosos non solùm verbis, verùm etiam factis atq; moribus declarate, quicumq; qualicumq; imperio præditi in excelso ætatem agitis; faxo hoc virtutis vestræ felici contagio plurimi confestim afflentur, utq; veluti speculum subjectis sitis, sed id vivum atque ardens, cujus oppositu flamma æmulationis in animis multitudinis accendatur. Sapienter enim, prorsusq; è Veri tripodè profatur Homerus ille Philosophorum Plato, quùm lib. IV. *de Legibus*, negat multo labore vel tempore opus esse Tyranno, hoc est, dynastæ sive Principi, si civitatis suæ
mores

mores immutare velit. Sive enim, inquit, ad virtutis officia, sive contrà cives perducere instituat, ipse primus viam, quam sequantur cæteri, ingrediatur, oportet, omniaque in seipso primùm repræsentet, ut quid agendum sit præscribat civibus. In quam sententiam & Xenophon alicubi, & Cicero, & Seneca, & Plutarchus, compluresq; alij Philosophi, Oratores, & Poëte, sed & Patrum nonnulli multa præclare differunt, quæ nunc brevitatis studio prætermittimus. Atque hanc ipsam annonæ levandæ viam quùm institisset Joannes Ducas, Imperator Græcus, intra paucos annos, ut refert libro 2. Nicephorus Gregoras, omnium & horrea & cellæ complebantur, & viæ ac plateæ, & stabula, & mandræ multitudinem pecoris vix capiebant: accedebant gallinarum, cæterarumq; avium greges. Verùm enim verò quùm in multorum animis hodiè semina virtutum intermorta, Christianæque charitatis igniculi prorsus extincti, virtutis alienæ exemplis excitari, & in flammam aliquam produci nequeant, adversus horum insanabilem atq; insatiabilem avaritiam aliò nobis auxilio opus est, Legum videlicet, quarum vis, veluti telum aliquod, in jugulum dardaniorum intendenda est. Non est, inquam, lenitati hic locus: Severitatem res ipsa flagitat. Quùm enim ad horum nefarijs artibus annonam excandescientium fraudes atq; scelera principes ac magistratus connivent, dum scelestis quibusdam parcunt, bonos omnes perditum eunt. Imitanda igitur hic est superioribus Theophili Imperatoris Bizantini salutaris severitas. Is enim, testante Zonarâ, quia justitiæ cultor erat, gravem se & inexorabilem delinquentibus præbebat. Singulis igitur hebdomadibus, inquit, eques per forum,

rum, cum satellitibus Imperatoriis in ædem DE I paræ Blacherniam ivit. Quùm autem sic in publico verfaretur, aditu facilis fuit, rerumq; venalium curam gessit, & quanti quæq; venderentur, curiosè indagavit. Quòd si qua magno venirent, Præfecto de iis interrogato vel magistratum abrogabat, si peccasset; vel objurgato eo quid agendum esset præscribebat. Hæc Zonaras *Tomo tertio Annalium, in Theophili imperio*, ubi & admiranda quædam ejusdem Principis in propinquos suos, imò in ipsam Imperatricem, quùm præ avaritiâ exorbitassent, edicta justitiæ ac severitatis exempla legere est. Ea mihi refricant memoriam verborum, quæ in senatu purpuratorum suorum aliquando disseruit Andronicus Comnenus, ille quidem aliàs illaudatus eorundem Bizantinorum princeps sive tyrannus, sed cujus providam ac salubrem hac in parte severitatem factis nemo laudârit. Quùm enim apud Romanos (hoc nomen inferioris ævi Græci tanquam proprium sibi adsciverant, Occidentalis verò Imperii Christianos, Latinos indigetabant) invaluisset consuetudo perquam iniqua atq; barbara, ne dicam quavis barbarie sævior, ut naves à tempestatibus in litus ejectæ non solum à nemine adjuvarentur, sed etiam ab accolentibus Græcis diriperentur, idq; malum aulæ proceres pro deplorato haberent, & quod vetustate corroboratum, opprimi jam non posset. Etenim, aiebant, complures superioris temporis Augusti, fasciculis literarum in provincias missis, extrema naufragorum spoliatoribus comminati nihil effecerunt, conatu quippe semper irrito, & intra scripta subsistente, adeoq; rubricam Imperatoriam illius mali velut undis eluentibus, ut literæ illæ planè in aquâ scriptæ viderentur, & edicta frustra

subnotarentur. Quum, inquam, hæc isti dixissent, tum
Andronicus (ut exstat apud Nicetam Choniatem.)
circumstantem senatum acriter intuitus, & suspirio ex
imis præcordijs ducto, Nihil, inquit, est, quin ab Impe-
ratoribus emendari queat: nec ullum peccatum, quod
vires eorum superet. Superiores autem Imperatores
aut rem stulte sunt aggressi, aut se dolere injurijs simu-
lârunt. Nam si corruptelam illam verè suppressam,
& liberè agi ea, quæ ad æquitatem pertinent, voluis-
sent, rubricatis literis omissis, & chartis inutilibus de-
spectis, cogitâssent, sanguinem flere, non lacrymas
fundere eos, qui homines, apud quos fractæ naves eji-
ciuntur, occultis in mari saxis & scopulis duriores ex-
periuntur, ac proinde gladio sceleratos hosce coërcu-
issent, gladio, inquam, qui non frustra gestatur, sed
ut eo in nefarios istiusmodi juris omnis humani divi-
niq; violatores vindicaretur. Nunc, ut mihi videtur,
nihil nisi malitiam scripserunt isti Principes, & in alic-
nis malis, contrà quàm decet, patientes, afflictos ipsi
quoq; sunt infectati, dum pravos mores non corrigendo
confirmârunt. Hæc ferè ille, divino, ut mihi vide-
ri solet, afflatu, & quæ spirant omninò aliquid homine
altius. Quòd utinam hæc eadem verba in omnium Re-
gum, Principum ac magistratuum Palatiis ac domibus
incisa aureis literis legerentur, imò, ut quod res est di-
cam, ipsorum animis penitùs impressa atq; iniusta sub-
inde eos expergefacerent, suiq; officii commonerent!
Profectò si hoc fieret, & si horum verborum vim ac
majestatem penitùs animis imbibissent, cogitarent &
ipsi, non lacrymam stillare, sed sanguinem flere eos,
qui se à dardanariis (quos & ipsos quovis Caucaſo im-
mitiores atq; immaniores experiuntur) patritis atque
-ondsi
avitis

avitis bonis per summum nefas everti, cumq; uxoribus
ac liberis, non in hanc spem genitis, ad incitas redigi,
imò ad mendicitatem prorsus protrahi lamentantur.
O nomen dulce Christianæ caritatis! ô res ipsa quum
jucunda, tum omnibus Salutis candidatis perquam ne-
cessaria! O præcepta Salvatoris de promerendis dili-
gendisq; non solum amicis, verum etiam infensissimis
hostibus! O ejusdem de pauperum curâ habendâ seve-
rissimæ sanctissimæq; jussiones! Huccine tandem in-
felici hoc sæculo malorum ventum est, ut quum omnis
caritas refrixerit, quumq; omnibus Domini & Dei
nostri mandatis insuperhabitis, sibi quisque ducat, tra-
hat, rapiat, infirmiozem opprimat, pauperis sangui-
nem exsorbeat, Christiani tamen & haberi, & dici veli-
mus? Quid? quod hoc annonæ tam diro, tam diuturno
ac pertinaci incendio brevi, nisi succurratur, quicquid
est humanitatis animiq; cultus, quicquid studiorum li-
beraliumq; artiũ, quicquid etiam graviorũ Rei q; publi-
cæ & Ecclesiæ pernecessariarum disciplinarum conflag-
raturũ videtur? Proinde si non fletu gemituq; paupe-
rũ, ne tantã quidem Ecclesiarum Rerumq; publicarum
pernicie comovebimur? Cæterum quum in omni acti-
one plurimum referat, non solum quid, sed & quã ra-
tione quidq; fiat, adeoq; in hoc ipso annonario nego-
tio vilitas rerum venalium, secus, quàm convenit, or-
dinata nonnunquam inopiam gignat & famem, ut ex-
emplo Commodi docet Lampridius *in ejus vitã*, sed &
Juliani Imperatoris Ammianus Marcellinus *libro 22.
Historiarum*, non possum non valdè probare earum ci-
vitatum consuetudinem, ubi fruges venui advectas in
ipso foro distrahi necesse est, omnibus ex æquo, quan-
tum cujusq; fert voluntas aut res, emendi copiã factã,

propolarum verò, qui quod alios quoq; capere oportuit, ut pluris deinde vendant, intercipiunt, cupiditate prorsus exclusâ. Quod si nonnihil frugum venditori peregrino reliquum factum sit, isq; abituriat, jubetur ab agoranomo, sive, ut Pomponius. J. C. appellat, ædile Cereali in horreo sive granario publico huic usui destinato frumentum tantisper deponere, donec suo commodo illuc reversus, in eodem opido reliquias quoq; illas distrahat. Ut iliter hoc sanè in publicum, famis præsertim tempore: sicut nec illum earundem civitatum morem culpaveris, sed potius magnoperè prædicâris, quòd in vilitate frugumq; uberi proventu magnam vim frumenti coëmunt, in horreis item publicis condendam & asservendam, donec in difficultate annonæ pænuriaq; ea copia promatur, atq; egenis pretio tolerabili, longeq; minori, quàm tunc vulgò solet, vendatur. Hæc & exemplo Josephi patriarchæ, sicut alibi diximus, annonaria provisio defenditur, & sæpè magnum famis periculum depulit sive avertit. Porrò illud quoq; institutum non parum dilaudes, quo pistorum fraudibus obviam itur, examinandis ad justum, atq; à magistratu definitum pondus eorum panibus, ut nisi tot libras unciasq; pendant, quot constitutum est, in panifices graviter animadvertatur. Justissimè id quidem. Siquidem & quem supra laudavimus, Theodericus ille Gothorum in Italiâ rex, ad præfectum annonæ urbis Romæ scribens apud Cassiodorum *lib. VI. variarum*, ut publicum hostem, defraudatorem annonæ & furem puniri jubet. Nam quod in civitatis damnum committitur, inquit, silentio non celatur. Nescit plebs tacere, quando interdum & hoc loquitur, quod à nemine perpetratur. Jubet igitur ibidem præfectum illum,

lum, ut pœnam distringat in fraudulentos, & panis pondera, velut æquus examinatus, intendat. Sollicitus, inquit, auro pensetur, unde à Quiritibus vivitur: quia gravior est lætitia faventis populi, quàm copia preciosissimi metalli. Ubiq; redundet panis copia, ut tam magnus populus, tanquam una mensa, satietur. Hæc & plura barbarus ille Rex, haud sanè barbarè, sed perquam catè atq; prudenter, exq; utilitate publicâ. Quæ quidem publica utilitas inprimis etiam illud exigit, quod Alexandrum Severum Augustum factitasse legimus. Is enim, *testante in ejus vitâ Lampridio*, de omnibus hominibus per fideles homines suos semper quæsit, & per eos, quos nemo nôset hoc agere, quum diceret omnes prædâ posse corrumpi. Submittendi igitur ad hoc exemplum sunt à magistratu vel principe, qui & panes illos occultè ponderent, & quicquid aliud in annonariâ hac re peccatur à quibuslibet, ad superiores fideliter ac diligenter deferant, & à quibus eisdem (quum nemo nôrit eos hoc agere) custodiantur ipsi custodes, id est, ipsi Cereales ædiles, qui se nonnunquam gratiâ aut pretio corrumpi patiuntur. Porro, illam quoq; ejusdem juvenis quidem sed longè optimi sollertissimiq; Principis nonnunquam, reb' ita poscentibus, imitari prudentiam, meo animo, valdè ex usu fuerit: Quum enim vilitatem populus Romanus ab eo peteret, interrogavit per curionem, quam speciem caram putarent; illi continuò exclamarunt, carnem bubulam atq; porcinam. Tunc ille non quidem vilitatem proposuit; sed jussit, ne quis suam fuminatam occideret, ne quis lactentem, ne quis vaccam, ne quis damalionem: tantumq; intra biennium, vel propè annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, ut

quàm fuisset octominutalis libra, ad duos unumque utriusque carnis libra redigeretur. Sic enim hunc Lampridii locum legit vir in omni genere literarum rarissimus, summæque; & prorsus admirandæ eruditionis ISAACUS CAUSABONUS: qui etiam (quod omninò adijciendum, ne cui voces hic quedam parùm intellectæ fraudi sint) suminatam interpretatur suem lactantem. Sument enim est fetæ suis mamma lacte plena. Lactentes verò, inquit, sunt porcelli adhuc subrumi, quos non occidi multum intererat ad vilitatem porcine revocandam, quod studebat Alexander. Et sic antiquis legibus Græcorum ἀρὸς ἀπέκτου jugulatio aut esus prohibitus fuit, ut idem Casaubonus pluribus docet *ad librum primum Athenæi, cap. VIII*. Quid autem discriminis sit inter vaccam & damalionem, sive Græcè δάμαλιον, legendum est apud Eustathium & alios Græcos Grammaticos. Quàm igitur ante hanc legem Severi Alexandri fuisset octominutalis libra, hoc est, libra porcine aut bubulæ venisset octo minutis (horum minorum, sive Græcè λεπῶν fit in Evangelio quoque; mentio, dicunturque duo efficere quadrantem) postea redacta est ad pretium duorum minorum, sive etiam unius. Magna omninò vilitas est magnâ, ut illis temporibus, caritate; quæ nobis aures pervellit, quantum ad commutandam annonam valeat hæc quoque; res, si gula circumferibatur ac velut in ordinem cogatur. Quo fine etiam olim apud Romanos, antiquâ adhuc Repub. leges sumptuariæ, sive, ut Cato Censorius vocat, cibariæ (eas Macrobius lib. 2. Saturnaliorum, cap. 13. percenset) latæ fuere, simulque; propter gliscentem luxum imperari coepit, ut patentibus januis pransitaretur & coenitaretur, sicque; oculis civium testibus factis luxuriæ modus fieret.

fieret. Cæterùm hîc diligenter videndum ac prudenter attendendum est legumlatoribus, quid tempora, quid mores suorum civium ferre possint, ne noceat antiquus rigor, cui hodiè pares non sumus; nevé in eandem quam Cato inferior sive Uticensis olim, reprehensionem incurrant. Is enim Cato, quùm corruptissimo sæculo viveret, nihilominus (ut de ipso queritur alicubi in *Epistolis ad Atticum Cicero*) in sententiis dicendis adeò rigidus ac severus erat, tanquam si in Platonis Rep. non in Romuli sæce versaretur. Quo in genere nuper etiam risum ac ludibrium hominibus Politicis debuerunt quidam in Lusitaniâ Lõiolite, qui luxum ex orientali Indiâ Asiaq; illuc per navigationes importatum corrigere satagentes, ex eâ occasione partem sibi in Republicâ arrogare voluerunt, & sumptuariis legibus (agnoscitis verba Gallici scriptoris) ad Laconicam, parcimoniam ineptè conditis ridiculi fuere, dum quod imperiti medici faciunt, corpora nimio succo turgentia non purgant, sed ad maciem adducere conantur: palamq; cunctis fecêre, Theologorum professionem à civili administratione omninò separatam esse. Enimverò, sicut apud eundem historicum prudenter differit magnus ille Hospitalius Galliæ Procancellarius, in hujusmodi legibus id præcipuè spectandum est, ut quomodo pedi calceus, sic tempori, & iis, quorum gratiâ fiunt, quadrent & convenient: alioquin (inquit) præclaris illis in speciem Edictis idem usuveniet, quod illis à Demetrio tantâ arte fabricatis navigiis, quæ cunctos in sui admirationem rapiebant, aspectu quidem pulchris, cæterum ad navigationem inutilibus. Verùm enim verò quamvis hæc ita sese habeant, adeoq; meruèdum sit ne remediis parùm cautè vel tempestivè adhibitis

bitis irriteretur potius gula, quam reprimatur: (etenim, ut ille ait, si velis quod nondum vetitum est, timeas ne vetere: at si prohibita impunè transcenderis, neq; metus ultra, neq; pudor est:) tamen quum immensum luxus proruperit, ganeaq; fervens immane quantum, annonam accenderit, omnino legum vinculis hæc quoq; fera constringi debet. Quod quidem eò magis faciendum, quò hæc ipsa res multorum acuit incitatq; avaritiam, quum quas in luxuriosa convivia, aliaque superflua fecerunt impensas, de malo refectum eunt. qui quidem plerorumq; plebejorum, etiam agrestium est morbus, quod ita prodegerunt, intendendo frugum, cerevisiæ, butyri, carnis, lignorum, aliorumq; edulium & utensilium pretio, refarcire studentium. Horum igitur inutiles sumptus ut amputentur, ventrisque & ganeæ paratus ut cohibeantur multarum irrogationibus, res ipsa ac præsens necessitas efflagitat. Sed & luxus vestium nimis hoc seculo sese efferens atq; procurrrens refrænandus est, quum ob eum & pecuniæ nostræ transferantur ad exterarum gentes, & hanc quoq; causam non parum hæcenus rerum pretia extulisse constet. Id quod & suis temporibus uluvenire cernens is, cujus antè mentionem feci, Græcus Imperator Joannes Ducas, quum suorum pecunias animadverteret in vestes exoticas magno coemptas effundi, severè earum usu illis interdixit, acriterq; in eos vindicavit, qui cultu vestituque patrio non viverent contenti. Verum enim verò hic quoq; plus exempla Principum in animis subjectorum valere, quàm metum terroremq; poenarum, idem laudatus Græcorum Asiaticorum princeps documento sit. Nam quum ipse cultu modicus ageret, neminem non subditorum puduit suo

Princi-

Principe cultiorem conspici, sicut ex illo, quem supra laudavimus, Historiarum Græcarum infimi ævi scriptore Nicephoro Gregorâ colligimus, qui & hac veluti gemmulâ eam historiam obsignat: Subditi, quantum licet, Principum sequuntur cupiditates; idq̄, lex ipsis est & honor, quod Principibus visum fuerit. Cui quidem dicto fidem adstruit etiam quod de Vespasiano Augusto scribit *Cornelius Tacitus lib. 3. Annalium*, ubi postquam disseruit, quomodo luxus mensæ, à fine Actiaci belli, ad ea arma, quâ Ser. Galba rem Romanam adeptus est, per centum annos profusis sumptibus exerciti, paullatim exoleverint, hæc subjungit: Sed præcipuus astricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuq̄. Obsequium inde in principem, & æmulandi amor, validior, quàm poena ex legibus & metus. Præclare. Sic enim de Pertinace quoque Imperatore legitur apud Capitolinum, Ejus exemplo, quum ipse parcius se ageret, ex omnium continentiam vilitatem natam esse, Nec multò secus de Alexandro Severo *Lampridius*, Censuram, inquit, suis temporibus de propriis moribus gessit: imitati sunt eum magni viri, & uxorem ejus matronæ pernobiles. Denique ut complures alios, qui in tali re subjectis sibi proprio exemplo præluxerunt, hinc præteream, nuper etiam, Henricus II. Francisci I. Filius, Rex Galliarum, quum severissimo edicto fibulam imposuisset luxuriæ, longè plus tamen apud suos exemplo, quòd ipse non sumptuose vestiretur, quàm eâ lege profecisse fertur.

Pensum meum, Auditores, quantum hoc horario spatio à me fieri potuit, absolvisse videor: nec tamen me fugit, posse & multas alias depellendæ caritatis; vilitatisq̄

F

litatisq̄

litatisq; proponendæ rationes iniri, præter illas, quas
attulimus. Cæterùm eas rationes, signato semel limi-
te, per quem eundem, investigare minùs, ni fallor, diffi-
cile erit, modò ne oculorum aciem splendor auri per-
strinxerit. Ubi enim ea res mentis luminibus officiet,
non solùm horum nihil dispiciet quisquam, sed &, si-
cut initio diximus, nihil à plus habendi cupidine de-
terrens cujusquam proficiet, nec valebit oratio. Pro-
inde si quis hac peste infectos ob malè parra beatos ju-
dicârit, miserrimus ipse fuerit. Beatus est nemo, qui
Deo hominibusq; exofus ità vivit, ut eum nunquam
vixisse præstaret. Usq; adeò malum ingens, nec solùm
ipsa malum, sed & malorum omnium radix est Ava-
ritia, quemadmodùm Deo plenus Apostolus nos do-
cet! Ea, inquam, improbitatis metropolis, ut Bion
olim appellabat, sive mater vitiorum illa est, quæ in-
tra breve admodùm tempus, infelici hoc bello, reque
monetariâ obstetricantibus, infinita mala peperit no-
stræ Germaniæ. Jure igitur eam Sallustius alicubi ità
describit: Avaritia, inquit, bellua, fera, immanis, in-
toleranda est: quò intendit, opida, agros, fana, atq;
domos vastat: divina cum humanis permiscet: neque
exercitus, neq; mœnia obstant, quò minùs vi suâ pen-
tret: famâ, pudicitia, liberis, patriâ atq; parentibus cun-
ctos mortales spoliât. Hanc igitur tetram pestiferam-
que belluam, si quemadmodum dictum, compescue-
rit nostra Germania, simulq; Luxuriæ modum fecerit
(quæ duæ pestes, *testante Livio*, omnia magna imperia
everterunt;) non solùm vilioris commodiorisq; in po-
sterum annonæ spes erit, sed & aurei, ut sic dicam, sæ-
culi paullò post redituri. Certè quæ nunc innumeris
malis

malis jacet ægra ac tantum non exanimis Respublica,
tunc iterum proculdubio recreata exsurgit, viresque
amissas (ubi PAX optata rursus affulserit) brevi recu-
perabit. Quod ut quamprimum fiat, ÆTERNUM
NUMEN supplex veneror.

D I X I.

B. Paulinus Epistolâ III. ad Ausonium.

----- *Stultus diversa sequentibus esse*
Nil moror: ÆTERNO meo dum sententia REGI
Sit sapiens. Breve, quicquid homo est, ut corporis ægri,
Temporis occidui, & sine Christo pulvis & umbra:
Quod probat aut damnat, tanti est, quanti arbiter ipse;
Ipse obit, atq; illi suus est comitabilis error,
Quumq; suo moriens sententia iudice transit.
At nisi dum tempus præsens datur, anxia nobis
Cura sit ad Domini præceptum vivere Christi,
Sera erit exsulis homini querimonia membris;
Dum levia humana metuit convicia lingue,
Non timuisse graves Divini Judicis iras. &c.

F I N I S.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

P I A

E. Paulinus Episcopus III. ad Auloniam

Faint, illegible text in the middle section of the page, likely bleed-through from the reverse side.

F I N I S

malis jacet ægra ac tantum non exanimis R
tunc iterum proculdubio recreata exsurget,
amissas (ubi P A X optata rursus affulserit) b
perabit. Quod ut quamprimum fiat, Æ
NUMEN supplex veneror.

D I X I.

B. Paulinus Epistolâ III. ad Aufo.

----- *Stultus diversa sequentibus esse*
Nil moror: ÆTERNO meo dum sententia RE
Sit sapiens. Breve, quicquid homo est, ut corporis a
Temporis occidui, & sine Christo pulvis & umbra
Quod probat, aut damnat, tanti est, quanti arbitet
Ipsè obit, atq; illi suus est comitabilis error,
Quumq; suo moriens sententia iudice transit.
At nisi dum tempus presens datur, anxia nobis
Cura sit ad Domini præceptum vivere Christi,
Sera erit exsatis homini querimonia membris;
Dum levia humana metuit convicia lingua,
Non timuisse graves Divini Judicis iras. &c.

F I N I S.

